




Lipski Andreas
Episcopus Cracoviensis.

Novodvorsciani Collegii: Musae Novodvorscianae in
occursum Illmi et Rmi D. D. Andreae Lipski,
Ep. Crac. expeditae.

MVSÆ NOVODVORSCIANÆ,

In occursum

ILLVSTRIS^MI & R^ENDIS^MI DOMINI,

D. ANDREÆ LIPSKI,

EPISCOPI CRACOVIEN:

DVCIS SEVERIÆ,

Literarum & Literatorum Patroni singularis,

A

NOBILI & STVDIOSA IVVENTVTE ACADEMICA,

cum debita submissione,

Expeditæ.

ANNO 1631.

In Officina Typographica Francisci Cæsarij.

Fundamenta eius in montibus sanctis. *Psal: 86.*



I.

A Via dumetis, intonsis squallida lucis,
Tandem pectendum, tesqua, parate caput.

Iacobus Franciscus Michonius, Stud: Gram.

II.

F Vmea Vulcanij scintillent chasmata Vesui,
Ignibus & Siculas terreat Æthna plagas.
Alpes, Acroceraunia, debacchentur, Athosque:
Et subdant Sceptro, colla superba, Tuo.

Joannes Cesarij, Stud: Gram.

CONCILIAT PALLAS FAMAM CATAPHRACTA PERENNEM.



Ecœnas atauis orte potentibus,
O & Sarmaticæ spes Academiæ
Princeps atq; iubar Seuerienſium.
Sunt quos picta suis sculptaq; sedibus
Percenſere iuuat Symbola Stemmatis,
Et confecta virûm prælia fortium
Quos virtus celebres vexit ad æthera.
Hunc si sollicitum cura gregis ferit,
Illum, si proprio congerit alueo,
Quidquid florilegis fert apibus labor,
Luctantem in patriis viuere compitis,
Lymphis mox, videas, dispereuntibus
Vrnas trist fico affundere dolio.
Neptunum lubricis quæritat in viis
Doctus pauperiem naufragio pati
Mercator, tabulis littore suspicit;
Ergon' cæruleis fluctibus arceas?
Sunt queîs non auium non cytharæ sonus
Somnum, non querulæ conciliant aquæ:
Multos Odrysius currere, feruida,
Distorto prohibet murmure, in agmina.
Sub dio reliqui, rebus in arduis,

Syluarumq́, feris, conscia per loca,
Expansis vigiles retibus accubant:
Annosos tereti figere spiculo
Ceruos, & rabidis dentibus obuios
Apros, impauidi, vincere prælio.
Te Diuina sibi munia, Pontifex,
Et doctorum hederæ præmia, vendicant.
Te sacri Aonidum fluminis accolæ
Secernunt populo, & cum Superis locant.
Si nec dulcisonas Calliope negat
Voces, nec celeri nixa Erato pede;
Præsul, Castaliis iuncte phalangibus,
Non spernas Lechici nomen Apollinis.

Hieronimus Połubinski Dux à
Łubno, Castell: Mscisłauień.
Stud: Gram̄.

O FORTVNATVM NIMIVM, SVA SI BONA NORIT, HOC PASTORE GREGEM.

IAm procellosi, satis in pupillos
Turbinis Diuûm Pater vsq́ misit,
Et minis vindex malè fluctuantem
Terruit vrbem.
Noxios passim tacitis oberrant
Greßibus strages, nece sentiuntur
Tela, telorum penitus nec vlli
Cernitur author.

Inde

Inde crudelis clypeum Gradiuus
Symbolum pugnæ quatit, & cruori
Sordido mistas, inimica, arenas
Vngula spargit.
Sensimus regno proprio carentem
Nauitam, nostro violenter ausum,
Candidas morphni generosioris
Vellere pennas.
Cernimus Moschos acuisse ferrum,
Turcicos pauci numeros veremur,
Et pharetrato, sine lege sparsos,
Agmine lixas.
O cui tantas DEVS expiandi
Indidit vires sceleris, precamur,
Imperî rebus propè corruentis
Consule Præsul.
Tu laborantis, cupias, beatus
Omnibus dici, Patriæ, Patronus,
Impius, ne limina casta Diuûm,
Polluat hostis.
Hic Tuos annos moderetur, atq́
Corpori infirmo accumulet vigorem,
In manu cuius necis atq́ vitæ est
Æqua potestas.

Ioannes Raphaël Tarnovvski
Comes à Tarnovv, Castellanid:
Zarnouieñ: Stud: Gram̃.

VIRTVS INVITIS MERITOS LARGITVR HONORES.

SIc Te Sydereæ faces,
Sic flaui rutilans æmula Cynthii,
Astrorumq́; pius Sator,
Seruent Warsauia Vrbs; auspiciis bonis
Nostrum quæ tibi creditum
Reddis Pontificem. Cracia Sospiti
Vouet gaudia LIPSCIO,
Vouet proût animæ dimidio suæ.
Virtuti proprium decus,
Optatamq́; pio lætitiam gregi,
Si quis denegat inuidus:
Illi Caucaseis scrupea pectora
Fibris insolitum crepent,
Nec surdis celebrem liuidus auribus
Famam Præsulis hauriat.
Audax, egregiis cur facinoribus
Obsit cura Promethidis?
Virtus digna suis, regnet, honoribus.

Wladislaus Tarło Palatinid:
Lublineñ; Stud: Gram.

SOL AVGET FLORVM, VIRTVTVM PRÆSVL ODORES.

SOluitur occiduis, ex ordine, corniger catenis
Taurus, sereni veris imperator. Sol-

Soluitur hybernis, malè percita, frigorum procellis,
Nouumq́, tellus, pollicetur annum.
Ipsa moræ impatiens pœnas luit otiosa Flora,
Solis benigno recreata vultu
Ridet, odoriferas florum meditatur officinas,
Crispante verni graminis capillo;
Vritur, inq́ dies, proles Hyperionis, calentem
Leonis, accit, Syrium ministrum.
Iam Dryades vidua speculantur ab arbore vniones,
Sperantq́ fructus horto amœniore.
Nunc decet herbifluis prætexere vertices corollis,
Myrtoq́ lætas impedire frontes.
Aonidum roseis quidquid reperitur in viretis,
O Præsul, halat nunc Tuos honores.
Inuidia Hydrigenis satis ebria, ringitor, cicutis,
Non LIPSCIVM *nox opprimet, nec vmbræ.*
Imò assurgentis dum munia solis auspicatur,
Florebit Vrbis sanctitas; Quid? Orbis.

Francifcus Carolus Korniakt.
Stud; Gram̃.

DEBETVR SERÆ VIRTVS TVA POSTERITATI.

S*Criberis parium norma Quiritium,*
Docto fatiloqui pollice Apollinis:
Ætas prima, suis, nec Spira, laudibus
Dignis orba, tacebitur.

Scriberis

Scriberis Supero, fida, Trliccio,
Vitæ in continuis, anchora, Syrtibus:
Clarebis celebri, posthume, sæculo,
Causarum vigil arbiter.
Scriberis patrii verus amor boni,
Fuso Nobilium sanguine percitus
Quæsisti innocuo subsidium gregi,
Contrà Moschidos incolas.
Conari tenues grandia, nos, pudor
O Præsul, prohibet: dicimus vnicum.
Seruato incolumi pignore, Principe,
Seruasti Patriam Pater.
Hunc Te, Lechiadum turba Quiritium
Succrescens Patriæ poscit: Is anxiæ
Sis (quæ prona, tuis, optime, postibus
Sternit sceptra) Academiæ.

Laurentius Gębicki, Castellanid:
Rogozineñ: Stud: Grañ.

SORTITVR LAVDEM PIETAS, PIETATIS ET AVCTOR.

LAudabunt alii, celatos marmore vultus,
Artificum insomnesq́ labores
Pertrahet innumeros sciti, solertia, Zeuxis,
Quâ viuas formauerat vuas.
Allicient oculos, terebrantes, regna Phanetis,
Regum spes operosa, colossi.

Ingenio

Ingenio est quidquid fictum factumúe sagaci,
Multorum mercabitur aures.
Laudabunt alii spirantes arma strategos,
Et vires animosq́ viriles.
Hunc, si lunatas audax inimicet arenas,
Fœdifragum si demetat hostem:
Illum, vafricies vdâ si fouit amurcâ,
Vt Scythicum populetur agema,
Sæpiùs & victor numeret, præsegmina Caudæ
Busto Sarmatico cinefactæ.
Hos tamen interdum, vero pro nomine, murmur,
Et populi leuis aura coronat.
Sunt, quibus vnum opus est, Sanctum pietatis & arctæ
Semper relligionis amorem,
Mentibus humanis, exemplo & moribus æquis
Instillare, viamq́ docere:
Non quæ, Christicolas spatioso calle reductos
Sulphureo malè mulctet in Orco:
Sed flammis, emptum, torturis, sanguine, loris,
Suppliciis, quæ libret Olympum.
Hæc via difficilis, perplexis fracta meantibus,
Qui præcurrat Thesea poscit.
Te manet istud onus, quod permiscetur honori,
Inq́ viâ comes est Tibi Christus.
Nil desperandum Christo Duce, & auspice Christo,
O fortis grauioraq́ passe.
Gressibus ambiguis suberit, vitæq́ viæq́
Fila ministrabit Tibi Christus.

Sic veram pietas laudem, pietatis & auctor
Ductu Præcursoris habebit.

Alexander Dąbski, Stud:Gram̃.

Et Leges, Aliis, Antistes
legibus arctat.

Mercuri facunda Iouis propago,
Diua, quem plumis, geminoq́ cautum
Angue, Cyllenes gelidis in vluis
Maia locauit.
Explica annexas pedibus ministras
Præpetes, & somniferam adde virgam,
Sume pennatum generosiori
Fronte galerum.
Conscium Diuis animum serena,
Io cornutis sociata, cuius
Audijt cantus, vigil expiauit
Barbiton Argus.
Tu feris aptum nemus, & patentis
Æquoris surdos habitare sulcos,
Nescium flecti genus, arte primus
Dedocuisti.
Tu pium dulci calamo labellum,
Docte pertæsas reparare mentes,
Iunge, condignas meritis, disertus,
Occine laudes.

Tu

Tu fatigatis recrea Laborem
Noctibus cinctum, comitesq́ Curas,
Et, nouis ipsas, modulare, leges
Legibus auctas.

Valerianus Wilczogorski, Stud: Gram̃.

PATRONI ADVENTVS OMNIA LÆTA FACIT.

ET thure, & fidium modis
Argutum melos, & dulce sonantibus,
Festos ducere nunc dies:
Nunc ornare Dei templa iuuat, iuuat,
Phæbi frondibus inclytis,
Cunctis tempus enim suaue, iubar velut,
Affulsit, rutili ætheris.
Iucundo resonat tum modulamine
Concentus, regio ætheris,
Permultùm tremulis grata volucribus:
Sic præcordia gestiunt
Delibuta nouis Lætitiæ modis;
Ut conspeximus inclyte
Heros, conspicuo Lumine splendidam
Virtutum, faciem Tuam.
Tu blandum Zephyri pneuma; tepentibus
Auris efficiens, sine
Atrâ nube dies, ac reuocans simul

Vitæ ad munia pristina
Omnes, tempus ad hoc exanimes ferè.
Tu tandem veniens quasi
Cœlo, cuncta Tuis restituens bona;
Sanè sensimus optimè;
Quid nobis tribuas, quid quoq; nos tibi
Deberemus: vt expedit;
Euax Castalium plectra sonent melos:
Præsentes agitare fas
Luces, Lætitiâ, cantibus, & Lyris.

Stanislaus Olszevvski, Stud: Gram.

SALVE PATRII PRÆSIDIVM LARIS.

CLio tonantis progenies Iouis,
Descende Cœlo, præcipiti gradu:
Et Lesbiis te barbitis da;
Perfacilem, neq; non benignam.
Desideratus Dis Patriis; quoq;
Cœlo Polono; redditur En: bona
Iam naufraganti Patriæ spes
Propitiis data adhuc ab astris.
Attolle cœlo, docta Sophûm manus,
Mentem sagacem Lætitiâ indue,
Vultus serenos, nonne cernis,
Quanta tibi Superi dedêre?

LIPSCI

LIPSCI vetusti sanguinis inclytum
Germen, qui auitæ Lampada gloriæ
Exaggeras virtute celsâ
Fœnore multiplici redonans.
Laudes parentum in prole perennium;
LIPSCI, vetustæ fulcrum Academiæ,
Patrone, quo nostræ quiescunt
Spes, Columenq; meum decusq;:
Te, nixa Regni pulchra stetit salus,
A Rege primum munus & arduum, &
Sublime, Cancellariatus
Pro meritis meritò gerente.
Sensit virum te Ecclesia, cuius, in
Sanctis gubernis euigilant Tuæ
Acerrimæ mentis labores:
Sensit & inclyta Lechiæ res,
Dum Te tenacem propositi virum
Non derelinquunt cœpta priùs, quàm eis
Fruges Laborum larga constet,
Omnigenæ, celebrisq; laudis.
Iactet procellas Æolus horridas:
Trisulca vibret tela Diespiter:
Fractusq; collabatur orbis:
Impauidum ferient ruinæ.
Hæc Tu malorum transgrederis freta,
Victorq; pergis tramite, quem tulit
Prudentiæ magnæ Tuæ Lux,
Quem & genius bonus occinebat.

Æstate tanquam mellificans apis
Latè vireti peruolitat loca:
Succos tamen non libat herbis;
Sint nisi odoriferæ, aut salubres:
Sic tu remotas, imperiis, plagas,
Regumq; mentes impauidas tuens:
Tantum hæc notasti mente solers,
Quæ procul à vitio fuêre;
Ergo beate (feruidus apprecor)
His macte magnis Præsul Honoribus
Plenum dierum Te coronet
Copia plena beatitatis.

Stanislaus Stokovvski, Stud: Gram.

DIGNA COELO GLORIA PRÆSVLIS.

ET quid est cur Herculeos frequentes
Sedulò iactent titulos, Auosq;
Ad Iouem vix non referat superbè,
Quisq; priores.
Scilicet pulchrum: genus, ex auitis
Fontibus traxisse, suisq; fastis
Curtios tradi, celebresq; duro
Marte Camillos.
Ergo si tantùm iuuat ex parente
Nascier Claro, dubitas beare

Præsulem

Præsulem, tali mihi crede virtus
Splendida surgit.
Gentis excelsæ veneranda proles,
Lechici, firmum columen, Dynastæ,
Tu decus nostrum, Patriæq; surgis
Fama perennis.
Iurè Te nostræ celebrant Camœnæ,
Et Tibi magnos referunt honores,
Nam Tuum Nomen Patriæq; robur
Sydera tangunt.
Quis, Tuos, vates, meritò tryumphos
Versibus claris poterit referre,
Et Tuas laudes Generose Præsul
Prêndere mente.
Viuito fælix Patriæ columna,
Dux potens, Lumen Lechiæq; clarum
Teq; cœlorum genitor perennes
Seruet in annos.

Ioannes & Alexander Zyrzynski,
Stud: Gram̃.



ARDVA DEBENTVR EXCELSÆ VIRTVTI.



Vræ quid, acri sollicitudine
Arcetis nitidis me Aonidum choris?
Abite corde, & mente abite,
Barbiton vt vacuus resumam.
Nunc nunc, canoro carmine me iuuat,
Magnum Crace tuum dicere PRÆSVLEM,
Tu labra vatis docta Clio
Prolue Castalio liquore.
Quisnam quis vnquam Te sine concinat?
Quæ vix Ausonio carmine Horatius,
Aut ipse dignè posset Orphêus
Traijcio celebrare plectro.
Quis ceû in horto dum calathos nimis
Flore implere parat, sedulus ambigit
Rosasnè suaues num ligustra
Num violas priùs vngue carpat;
Sic quisquis optat pectine Lesbio
Te laudare decus, Sauromatum iubar,
Hæret: quid ante postuè dicat;
Tantus honos viget atq; virtus.
Tu summi Olympi, Tu reseras fores
Et regis Stygij tristia Tartara
Occludis, ac vmbras profundas
Eripis Eumenidum furori.
Hos ergo tandem Progenies sacra
Fasces, sume libens, quos Tibi porrigit
Plebs læta Craci, & sæculorum
Tempora mille Tibi precatur.

Stephanus Tarło, Palatinid: Lubli.
Stud: Poës.

POST

POST NVBILA PHÆBVS.

NOn ſemper imbres, fructiferos agros
Rigant ionori, non mare Balthicum
Semper tumeſcenti procellâ
Exagitatur iners, nec oras
Menſes per omnes Armenias tegit
Nix, ô celebris Craciadum cohors:
Arbuſta nec præcelſa montis
Semper iniquo Aquilone turgent.
Tu lachrymarum rore madentium
Vrges ademptam flebilis Infulam;
Semper nec ortus Sol, amores
Nec fugiens inhibet tenellos.
At non per omnes Roma Sabineum
Plorauit annos Pompilium Numam,
Nec mæſtus Oeagrum Parentem
Orpheus, aut Menelaum Oreſtes
Fleuêre ſemper. Deſine mollium
Tandem querelarum, & potius nouum
Gaudens ſaluta PRÆSVLEM, dic
Lætus vt ingrediatur vrbem.
Totius orbis Sarmatici caput,
Dic, viuat annos Neſtoreos Tibi,
Charis propinquis, Patriæque,
Chriſticolæq; gregi ſacrato.

Nicolaus Sapieha, Capitan: Mśćiſław.
Stud: Poëſ.

REX EST QVI ANIMVM REGIT.

SAnctius regnes, meliuſuè longè
Infulæ ſacræ caput inſerendo

PONTIFEX, quàm si Tua dextra Regum
Sceptra capessat.
Pulchrius regnum tenuit quis vnquam
Cæsarum throno positus superbo?
Mentibus, num qui benè præsidendo
Rexerit orbem?
Ille rex solus mihi, solus ille
Imperatorum meruit coronas,
Qui sibi rectè prius imperauit
Se quoque rexit.
Sceptra regnantûm sine mente regum
Plectra sunt ipsis dominis: & ipsis
Subditis. Regum mala namq; in illos
Cuncta redundant.
Suauior nunquam dominatus orbe est
Mente pacatâ. Bene sæpè menti est
Consciæ recti: cui nulla subdit
Cura flagellum.
Splendidus regum nitor in tumultu est,
Culmen in multo trepidat fauore.
Verticem gemmis decorat Tiara,
Pungit at intus.
Sæpius Reges auidos bonorum
Limites vltra proprios auara
Iuno protrudit, grauiore damno
Spebus iniquis.
Sæpius regni timor in palæstram
Euocat Martis, dubios triumphi,
Pugna fit. Vincunt modo: rursus îdem
Turpe fugantur.
Mox fugant hostem, capiuntq; victum,
Mancipes ipsi. Sed heu catenis
Criminum, multò magis ingemiscunt
Mente grauati.

Imperent reges solio potentes
Gentibus multis, domitique bello
Hostibus regnent, vbi sol resurgit
Et cadit idem.
Tu tui victor venerande LIPSCI
Regis Excelsi cui sorte Regnum
In gregem cessit, dominare latè
Pastor ouili.
Mentium custos, melioris idem
Cultor & vitæ, populi domando
Spiritus, Regum superabis omne
Nomen, & omen.

Gabriel Campo, Stud: Poës.

TV DECVS OMNE TVIS.

QValem Dionem gens Arethusidum
Cuius feracis Trinacriæ decus
Pacem peroptatam recepit
Consilij auxilio salubris
Experta: qualem Creta virentibus
Gaudens cupressis vidit Agenoreûm
Minoa, cuius constitutum
Legibus Imperium superstes
Per multa firmum tempora floruit.
Qualem decorum relligioneque
Belloque sensit, cultu & armis
Aspera Thrace Cotym benigno
Sermone cuius dulcia dogmata
Sumpsit Deorum. Lechiadum plagæ
Videre talem PRÆSVLEM Te
Consilio, pietate clarum, &

Virtute sacrâ iustitiæ sacræ.
Illustre nam quis consilium neget
Mauorte pugnacis Dynastæ
Cuî comes arma feris in oris
Iuuit? Quis almum iustitiæ decus
Non obstupescat? dum dirimi graues
Poloniæ causas tuetur
Ipsius arbitrio sagaci.
Quis non celebret PRÆSVLIS inclyti
Ardentem amorem laudibus in DEI
Cultum verendum? cum nefandis
Hæreticis violare sanctos
Ritus sacratæ Relligionis haud
Permittere audit. Doctus es ô Dion
Iustusq; Minos, atq; clarus
Relligione Cotys, benigne
PRÆSVL. Loquar quid verius? Es velut
Sol inter omnes auricomus polo
Stellas decori; tempore & sic
Tu decus omne Tuis perenni.

Vladislaus Milonski, Stud: Poës.

NIL MAIVS TERRA TENET PRINCIPE IVSTO.

MAgnis orte viris Craciadum noue
PRÆSVL gentis, abes iam nimium diu,
Ingressum properum, pollicitus PATRVM
Sacro Concilio: Veni.
Claram redde Tuo Maxime DVX gregi
Lucem, lætus enim vultus vbi Tuus
Affulget, populo gratus erit dies
Et sol curret amænius.

Vt carum

Vt carum iuuenem ſollicite Parens
Quem diſtans regio ſedibus in ſuis
Iucunda, ſpatio temporis annui
Seruat longius à domo,
Maternâ reuocat nunc prece, nunc pijs
Votis, nec faciem limine dimouet
Fauſto; ſic vigilem nobilis omine
Te Cracouia PRÆSVLEM
Quærit. Grex etenim tutus obambulat,
Templi viuifici paſcua virida,
Verbi dogma DEI percipiens ſacrum
Culpari metuit fides.
Nullis ſacra domus polluitur iocis,
Nullis relligio deſtruitur nouis
Diui verbigenæ ritibus, horrida
Culpam pæna premit comes.
Quis dirum paueat de Stygiæ plagæ
Syluis mortiferis, ac rabidum lupum?
Quis falſa incolumi PRÆSVLE dogmata
Curet lethiferi Arij?
Quis Calui metuat ſpicula liuida
Veſani, lepido melle ſub abdita?
Lutheriuè dolo fraudeque perditi
PRÆSVL Te Duce ſoſpite?
Te multâ prece, Te proſequitur pijs
Plebs deſiderijs, ingeminans Tuum
Semper nomen, vti Græcia Caſtoris
Et magni memor Herculis.
Longas ô vtinam DVX BONE ferias
Præſtes Sarmatiæ, dicimus integrè,
Et ſurgente nouâ lampade Cynthij,
Et cedente ſub æquora.

Caſimirus Waxman, Stud: Poëſ.

VOTVM.

Ad Augustissimam DEI Matrem Virginem pro PRÆSVLE; EIVSQVE FÆLICI IMPERIO IN ECCLESIA.

O DIVA, celsum quæ regis æthera
Ipsis vel astris, pulchrior aureis,
Calcasque Lunam corpus almum,
Lumine Solis amicta VIRGO.

Te vota IESV gens, prece supplici
Clamat PATRONAM, te Dominam inuocat,
Cælique, terrarumque, cætus
Christiadum sacer orbe toto.

Te Clerus ordo, te populi agmina
Seruata centum clauibus abditis,
Patrumque matrum &, Virginumque
Turba frequens colit ADVOCATAM.

Deteriori ne sine sæculo
Stantis columnæ, mænia corruant,
Neu' malignans Tartari vis,
Cælicolum monumenta vastet.

Præsens Tonanti, tu PIA FILIO
Libas labellis oscula dulcibus
Palmisque gestas MATER orbis
Totius artificem PVELLA.

Immensæ abijssum fas penitus cui
Haurire summo fluminis impetu,
Manantis in te TRINITATIS
O mare, vel maria, ô MARIA!


Tu

Tu ſemper hæres IVDICIS ad latus
Terrentis Orcum, fulminaque horrida
Dextrâ gerentis, nec potentes
Militiæ tibi defuêre.
Te Rex, & omnis curia Cælitûm
Circumſtat vltro nutibus annuens
Quodcunque mandâris. Cohortes
Angelicæ Imperium capeſſunt.
Ridente vultu, vel ſimilis DEO
Formaque multâ terribilis DEA
Qualis Phalanx aut ordinatæ
Dum rutilant acies in armis.
Hinc infideles Hæreſeos retro
Cedunt cateruæ. Styx quoq; territa
Clamore cum tetro, & querelis
Ima petit Phlegetontis antra.
Cælo potentem porrige dexteram,
Clemenſq; MATER reſpice PRÆSVLEM
Seruans timendum peieranti
Hæretico, Stygijſq; monſtris.
Fas ſit, TONANTEM, quin potius tuis
O VIRGO Clemens, Virgo Puerpera
Enixa REGEM, flecti ab irâ
Præſidijs populo roganti.
Tu certa nautis anchora naufragis,
Tu portus ad te confugientibus,
Errantium lux ô iterque
Arcaque fæderis æuiterni.
O ergo ſummi Filia PATRIS, &
De Patre NATI MATER amabilis,
Et ſponſa Sancti Spiritus, quam
Attonitus ſtupet omnis æther.

 Ad

Ad nos ocellos ſydere candido
Flagrantiores MATER amoribus
Conuerte CLEMENS, nec morare
O Pia, dulcis, & alma MATER
Placare NATVM pro populo tuo,
Oueſque Chriſti longè ab ouilibus
Reduc aberrantes. At ipſa
Styx pede preſſa tuo ingemiſcat.
Euerte gentem, quæ nimis impiè
Ritu nefando, deſeruit DEVM
Iurata contra, conteraſque
Hæreſeos capita omnia; Vna.
Excelſa Cedrus qualis in arduis
Protenſa ramis montibus eminet
Tam ſurgat in terris, vbique
Relligio altior orbe toto.
Huîc reprobanti, colla ſua Hæreſis
Ceruice pronâ ſubdat, & oſcula
Lambendo terram ſæpè ſupplex
Multiplicet pedibus beatis.
Hoc apprecatus, iam tibi PONTIFEX
Me dedo, totum cultor Apollinis,
Et ad pedes ſacros repoſtus
Lætus Io, cano Io triumpha.

Andreas Kochanſki, Stud: Poëſ.



Fœlix

FOELIX, QVEM GENEROSA EVEXIT AD ÆTHERA VIRTVS.



DI profanas dissociabilis
Vulgi cateruas, & genus inuidum
Audacis Argi, & dissidentis
Insidias tumidas theatri.

Fauete linguis, iura silentij
Seruate Sacri, nil humili iuuat
Cantare buxo, mens susurrat
Diuitias generosiores.

Te magne PRÆSVL, *Te Patriæ iubar,*
Te gloriosæ Sydus adoreæ
Te dulce, dicam rebus arctis
Præsidium, columen, decusq́,

Tibi Tonantis rara benignitas
Et prorogati temporis intimus
Arrisit ordo, pulcher ordo
Consociabilibus brabæis.

Immensa pulchri Te arbiter ætheris
Inter serenæ præmia gloriæ
Inter coronatos fauores
Per medium iubet Circum. ire

Ascende fausto non sine Numine
Ascende, lætis non sine plausibus,
Nostras in oras magnus hospes,
Vauelicæ nouus hospes arcis.

Te feriati cum pueris ſenes,
Quocunq́ fauſtum lætus agis pedem,
Lyræq́; buxiq́, & ſonoræ
Cum pueris Cytharæ ſalutant.
Spes mille circum frontibus inſident,
Plenoq́ voces pectore congerunt,
Tibi reſeruatum Lycæi
Omne decus Nouoduorſciani.
Aſcende, fauſtis ominibus PATER,
Aſcende doctæ lux Academiæ,
Regni Poloni laus perennis
Præſidiumq́ Tui Senatus.

Ioannes Tarło, Palati: Lublin:
Stud: Dialect.

PVLCHRA LABORE PARANTVR.

INauſpicatos hic operoſior
Ventoſi honoris circinet impetus,
Contendat in campum petitor
Obſequio meliorq́ faſtu.
Illum recentum turba Quiritium
Circumſtet, illum turba clientium
Prêndat, ſuperbos, huic laboret
Gloria deproperare faſces.
Iucunda auari fabula ſomnij
Tandem theatris perſonet omnibus,
(Faſtidioſus dum ſequaces
Deſpiciet famulos redemptor)

Ite

Ite, ite, ludo improuidi ab aspero,
Ite inuidendis postibus hospites,
Exulceratam sorte sortem
Muneribus reparate vestris.
Non otiosis culta laboribus
Virtus alumnos auget: at asperâ
Sortitur insignes ab vrnâ
Consilio & meritis Dynastas.
Antistes hac te quæq; per ardua
Actum Camœnæ magnanimis, bonis
Auxêre, fascesq; & potentis
Ingenij titulos dedêre.
Desiderantem commoda publici
Boni, serenus conspiciet polus,
Libabit æther, quo repostus
Sydereos micet inter ignes.
Ioannes Wesel Stud: Dialect.

DIFFICILE EST FATEOR, SED TENDIT IN ARDVA VIRTVS.

ANgustam adornant consociabiles
Virtutem honores, conditionibus
Nunquam dolosis, & reclinem
Ipse Deus locat inter astra.
At vos propinquo pergite Symbolo
Virtutis arctâ currere in orbitâ
Parui Quirites, dum tenellos
Pontificis celebratis annos.

Ille ille virtutum intima semina,
Doctarum & inter prœmia frontium,
Interq; ludentes Camœnas,
De tenero accumulabat vngui.
Cui statim Apollo risit amabili
Pallasq; vultu, matris ab vbere
Et fouit, arcanaq; fontis
Pegasei satiauit vndâ.
Hinc & iuuentam soluere pertinax
Curas in omnes, sole alio solum
Feruens, peregrinumq; cœlum
Commemorabilibus sacrauit.
Laboribus. Sic rebus in arduis
Exercitatus, legiferam petit
Spiram, latentisq; in profundo
Præsidiumq; decusq; Consi.
Penu recluso diuitis ingenî
Pericle dignis vocibus intonat,
Ramnusidis dum pertinaci
Ingenio scopulos resoluit.
Siue æstuosus, gurgite ab aspero
Ciuilis vndæ, nimbus inhorruit,
Siue impotentum ardor virorum
Mobilibus reboat cateruis.
Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec virga lictorum securam
Submouet imperiosa turbam.

Paulus Stokovvski, Stud: Dialect.

ARDVA

ARDVA SOLICITIS VICTORIA QVÆRITVR ARMIS.

PVlchram iuuentam Lipſcius arbiter
Laboris almi Socratico modo
Sub erudito finxit vngue
Et rigido ſale defricauit.
At vos ſupino ſemper in otio
Perdetis æuum? ſurgite languidi,
Et tædioſis, inuidendum
Imperium reparate, Muſis.
Seû vos doloſæ prælia dexteræ,
Seû fulminatis diruta Pruſſiæ
Caſtella nimbis concitabunt,
Non humiles iterare pugnas.
Vibrate ferrum ſanguinem in impium,
Armate dextras, ite volentibus
Fatis Poloni, ite ite Moſchos
Mobilibus viduate regnis.
Sic perduelles impoſito iugo
Compeſcite hoſtes auſibus Herculis
Haſtisq́, captiuosq́ currus
Exuuiis onerate opimis.
Infracta virtus tramite conſcio
Deliberatas ludit adoreas
Et vel minaces per tumultus
Ingeminat geniale fulgur.

Deuota dulci pectora Patriæ
Assueta magnis ire laboribus
Non fata terrent! quin coruscas
Frontibus accumulant coronas.
O quàm decorum est pro Patria mori!
Mentita auorum Nobilitas luet
Emasculatum olim, sepulchris
Immiserabilibus Gradiuum.

Paulus Gębicki, Castellanid:
Rogozineñ: Stud: Dial.

DEXTERITAS RETINET CYMBAS, DOMINATVR ET VNDIS.

IVstum & tenacem propositi Virum
(Cui ridet almo pectore amabilis
Candor, serenæ dux quietis)
Attoniti stupet ira mundi!
Illum dolosi flumina Nerei,
Illum vagorum exercitus hostium
Horrent, & immanes hiatus,
Acrocerauniacæq; Syrtes.
Effusa aquosis cum legionibus
Armauit infames scopulos Thetis,
Et insolentes è cauernis
Irremeabilibus Charybdes

Eduxit

Eduxit : vt mentem haud ſibi cognitam
Tumultuoſo turbine frangeret,
Pararet immani & marito
Inferias generoſiores;
Viros timendi Regis, & hoſpites
Inhoſpitali ſcilicet impetu,
Curis acerbis Lipſciumq;
Tiliciumq; operoſiorem.
Et iam procellis Pontus inhorruit,
Et inquietus vortice Nereus,
Laborioſis, mille mortis
Nauibus agglomerârat vmbras:
Cùm ſepti amœno conſilio viri,
Ventis per auſum dira frementibus,
Ponto procellarumq; turbis,
Quam Thetis imperioſiorem
Dedêre vocem. Danius illicet
Euiſcerato detonuit fragor
Furore, tempeſtas & omnis
Depoſuit liquidas phalanges.
Tum peruicacis turba petax Mynæ,
Aſſueta prædis viuere nauticis
Deſpumat ingentes timores
Præſidio ſuperata Diûum.
Iniurioſæ concidit Atropos
Falx perduellis; proſpera fortiter
Fortuna cautis detriumphat
Claſſibus inſidias fugaces.

Sensêre quid mens ritè quid indoles
Instructa faustis conditionibus
Possit, quid armati, Tonantis
Præsidio tacito Poloni.

Stanislaus May, Stud: Dialect.

GRATVMQVE tandem Nereidum Pater
Est elocutus. Lechia, Lechia,
Ingens duobus si Polonis
Vis residet generosioris
Virtutis! ô quam Martia perfidam
Gentem citò regno excuties suo,
Franges & audaces tumultus
Cum populo & Duce fraudulento.
Qui sæua rursus fulmina detonat,
Deliberato funere pertinax
Quamuis subhastauit virilem
Nominis imperijq́ famam.
Vis consili expers mole ruit suâ
Vim temperatam ô Lechia fortior
Tuêre ne bellator hospes
Prussiacis dominetur oris.
Tuis & vltrò seditionibus
Bellum excitatum, nè legionibus
Inauspicatis duplicatas
Immolet inferias sepulchris.

Quisquamne

Quisquamné tandem Marte potentior
Iniuriosos diluet impetus
Quisquam Pruthenas heu procellas
Restituet solido triumpho.
Dum insultat armentum Vrbibus, & vagos
Cælant inultæ dum catulos feræ
Delubra per sancta ab Deorum
Sacrilego cinefacta busto.

Thomas Vieyski, Stud: Dialect.

SED PROBRA QVORSVM? Non ego Sarmatam
Damnabo fortem, fatidicus sacri
Vates Gradiui. Viue, VLADI-
SLAE decus Lechicæ Coronæ
Magnum parentis magnanimi decus,
Clarum & Polonæ sydus adoreæ
Rursus triumphatis'q; Moschis
Fulmineos resera triumphos.
Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Moscho ter pereat tuis
Excisus armis, & ter vxor
Capta virum puerosq; ploret.
Horrendus altum Nomen in vltimas
Extende terras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro
Quà gemino gemit axis orbe.
Quicunq; mundi terminus obstitit
Hunc frange ferro, visere gestiens
Quæ gens sub Eois renatum
Suspiciat remeare solem.
Nam bellicosis fata adamantina
Fauent Polonis ; Si nimium pii
Diuisq; fidentes, auitam
Inde velint reparare famam.

Quo Musa tendis? desine, desine
Damnare fatis regna potentibus:
Conamur omnes grandiora
Quàm genius ferat expeditus.

Adamus Belchacki, Stud: Dialect.

In Stemma
Illustris^mi & R^ndis^mi Dñi.

F *Vlmina, Tartarei raptus, tumidiq; tridentes.*
Clauibus & clauis, hæc tria vincta gemunt.

Petrus Tomicki, Stud: Gram.

E *St iter angustum, augustum quod monstrat honorem:*
Vis potiare bono? fac patiare malum.

Remigianus Piasecki, Stud: Gram.

D *Isp[illegible]reant stolidis si quæ nascuntur in hortis*
Numina: verrentur, mens, vereantur, ait.

Samuel Sierakovvski, Stud: Gram.

E *N quid sollicitus, quid non labor improbus audet?*
Figit inaccessi, caumata fronte, loci.

Stanislaus Rudnicki, Stud: Gram.

Impensis, ex fundatione perpetua, M. D. BARTHOLOMÆI NOWODWORSKI, Equitis Melitensis, Ordinis S. Ioannis Baptistæ Hierosolimitani. S.R.M. Aulici, & militiæ præfecti, Commendatoris Posnanien: excussa.



M. Joannes [illegible] [illegible] Nowdw[illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]